



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

Qvæst. I. De generatione & corruptione substantiali in vniuersum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

per antiperistasin frigidum densatur, ut sit in grandine.

Calidum item aliquando liquat per se, aliquando per accidens. Per se, quia rarefacit partes frigore constrictas; sic enim soluitur glacies disjunctis partibus terrestribus, quæ aqueas partes continebant. Liquat per accidens, quando per antiperistasin cogit partes frigidas, à quibus humor diffilatur in vaporem.

Frigidum denique humidum per se liquefacit sal & nitrum, quia subit eorum poros, sicque distinguit partes terrestres exsiccatas, & in vnum coactas vi caloris. Liquefacit quoque interdum per accidens, quia frigore calidum expellitur, cuius vi efficitur crassitudo, ut in spermate.

Colliges primò, ea corpora, quæ plurimùm habent aëris cum lentore quodam, ut oleum, crassescere à calido & frigido, quia resoluuntur aquosæ aliquæ partes; sed nunquam durefcere, quia parum habent terræ: idem accidit melli; acetum verò nec crassescit, nec durefcit.

Colliges secundo, ea in quibus aqueus humor propter coagulationem & plures partes terrestres ita constipatus est, ut ab igne dissolui nequeat, mollescere tamen, imò etiam liquefcere, si fuerit ignis vehementior.

Colliges tertio, lapides quibus pori rari sunt, & in omnem partem diffusi, esse frangibiles; quibus verò crebri sunt & frequentes, esse comminibiles. Ligna, quorum pori sunt in longum protracti, partesque glutino tenaci compactæ, in longum scindi possunt, non frangi. Quæ sunt terrea, si lentorem habent, malleo extendibilia sunt. Quibus in humido aqueo glutinoso plurimùm est admixtum aëris, & parum terræ, fingi possunt in diuersas formas, ut cera. Aquea vaporem emittunt ad ignem apposita: aërea fumum & suffutur: vinctuosa nidorem, ut oleum; fuliginem ea quæ cum aëre ac lentore plusquam modicum habent terrestribus partibus.

DISPUTATIO II.

Ordine XI.

De generatione substantiali, & corruptione corporis mixti.

DIXI hæcenus de alteratione, quæ medium est ad productionem substantialem ipsius mixti; nunc generatio ipsa sequitur, qua incipit existere substantia noua coalescens ex pluribus; & tamen vnius essentia, vnius formæ, vnius materiae. Primum ergo generationem ipsam & corruptionem vniuersim considero: secundo generationem ipsius mixti, siue mixtionem cum suis principiis, causis & proprietatibus.

QVÆSTIO I.

De generatione & corruptione substantiali in vniuersum.

PRincipia earum & causas tradebam initio tractatus primi; nunc quidditas vtriusque super-

est; deinde vtrum fiat in generatione resolutio vsque ad materiam primam; denique, an & quomodo naturaliter reparari potest res semel corrupta.

SECTIO I.

Quidditas generationis substantialis.

Generationis nomen interdum sumitur latissime pro qualibet productione substantia, interdum strictissime pro sola productione viuientium, interdum valde proprie pro qualibet productione substantia ex subiecto. Sumitur nunc generatio in hac significatione vltima, quariturque primò de illius existentia, siue an sit: secundo de illius definitione propria: tertio quales sint termini eius, tum formalis, tum totalis.

§. I.

Vtrum detur generatio substantialis proprie dicta.

Negarunt plerique veterum, dari generationem ullam substantialem, sed solam alterationem, ut testatur Aristoteles lib. 1. textu 1. & nunc eandem doctrinam profus exsolentam, & abrogatam iterum inuenerunt quidam recentiores Philosophi, rem dicentes vix credibilem, & risu dignam; quòd nimirum nulla sit substantia mixta, in qua non existant realiter formæ omnes, quæ induci possunt in hanc materiam; eas enim non de nouo produci volunt, sed educi ex hac materia, & quasi extricari, sepultaque, & quasi confusas esse ibi formas omnes, donec in materiam inducantur dispositiones, quibus positis illæ formæ suam possunt explicare actiuitatem: vel certè nihil omnino nisi figmentum logicum, aut metaphysicum esse formas substantiales distinctas à materia, sed illas non esse aliud quàm certam combinationem, compositionem, & confusionem minimorum corporum, quorum varia configuratio & conformatio facit totam in rebus diuersitatem. Sic enim censent noui Aristotelis aduersarij, dum statuunt nulla esse in rebus omnibus mixtis corpora, præter quatuor elementa, ut retuli 2. Physicorum, & reieci.

Dico primò, certum omnino, & compertum esse, quod detur generatio substantialis in rebus, adeò ut nouæ quotidie formæ producantur, & aliæ profus intereant.

Ratio est, quia dantur in rebus sublunaribus formæ substantiales: illæ non existunt omnes simul in eadem materia, sed in ea sibi mutuo succedunt per veram generationem & corruptionem substantialem: ergo dantur in rebus generatio substantialis & corruptio.

Maiorem probabam tractatu 1. vbi pluribus argumentis ostensum est, admittendas esse in rebus formas substantiales, quia corpora naturalia substantialiter specie differunt, ut constat ex diuersis eorum proprietatibus: non differunt per materiam: ergo est necesse ut differant per formam substantialem. Deinde videmus corpora in suis læsa proprietatibus, ad priorem redire statum, & reparare id quod prius amissum erat: hoc non accidit nisi propter formam substantialem diuersam; nam id quod est radix proprietatum, non est accidens, sed substantia & essentia ipsa rei: ergo dantur in rebus formæ quæ sunt substantia. Deinde accidit aliquando, ut destructo vno acci-

vidente destruitur aliud, quod non habet ullam cum eo connexionem; in animalibus v. g. quaecunque corrumpuntur ex causa, videmus perire semper virtutem sensitiuam, virtutem motiuam, & alia huiusmodi; illa non corrumpuntur per introductionem contrarij, vt patet: ergo corrumpuntur ad corruptionem principij alicuius substantialis, quod necessario forma est. Certum igitur est dari formas substantiales.

Quod autem formae substantiales non existant omnes simul in eadem materia, sed in ea sibi succedant mutuo, ita vt aliae fiant, aliae intereant, non egeret vlla probatione, nisi viderem negari ab eruditissimis Recentijs, quorum ego vel mentem non assequor, vel non possum satis mirari doctrinam. Nunquid enim in lapide, in ligno, in ferro sunt omnes animae animi, animae quadrupedum, animae omnium plantarum, & formae metallorum? Hoc sane risu dignius est quam refutatione: repugnat enim omnibus principijs Metaphysicis, Physicis, & iudicio ipsorum sensuum. Primum enim hinc sequeretur, quod corpora naturalia inter se non differrent, nisi accidentaliter; omnia enim similem haberent essentiam, & formas substantiales omnino similes. Contrarium autem est omnino certum, quia cum certas habeant proprietates omnino diuersas, sine quibus existere nullo modo possint, necesse etiam est vt diuersas habeant essentias. Secundum sequeretur, quod idem corpus haberet formas infinitas simpliciter; haberet enim formas omnes possibiles, quas constat esse infinitas, nisi forte dicant formam vnicam esse rerum omnium, quam appellauerunt veteres Philosophi *animam mundi*; quod esse falsum, tum in Philosophia, tum in Fide, docebam initio tractatus 2. Tercio sequeretur, nullam esse rem in mundo vnus essentiae, sed nihil esse quod infinitas non habeat essentias, cum infinitas habeat formas. Quarto nulla est forma, quae possit esse in materia sine suis proprietatibus & dispositionibus necessarijs: nam vbi est ignis, ibi etiam producit calor; vbi est aqua, ibi frigus producit per emanationem: si ergo sunt formae omnes in materia, non est maior ratio cur producat in aqua frigus per emanationem, quam calor; imò produci debent per emanationem frigus & calor, cum aliae formae calorem exigant, aliae verò frigus. Quinto sequeretur, quod cum anima rationali essent aliae infinitae formae in eadem materia; hoc autem absurdum est, quia sic anima illa superueniret enti iam completo, & esset accidens: & sanè quomodo audient homines cordati dicere, quod quilibet homo animam habet equi, bouis, & cameli, & asini; atque adeo quilibet homo est substantialiter equus, bos, camelus, & asinus. Sexto denique (dies enim mihi deficeret si cetera velim persequi) omnia indicia quae suadent produci animam rationalem in homine, & eam excedere à materia, suadent etiam produci de nouo, & extingui alias formas: tam enim incipiunt esse in equo genito proprietates equi, quam incipiunt esse in homine genito proprietates hominis; sed idè dicitur produci de nouo anima humana, quia videmus de nouo proprietates hominis esse in tali subiecto: ergo incipit de nouo esse in equo genito forma equi, quia videmus in eo subiecto proprietates equi, quae prius non erant. Quæro autem ab istis noui dogmatis assertoribus, quo argumento probent id quod tam serio affirmant? Nunquid enim habent rationem quæ demonstret iudicium quod arguat, experientiam quæ conuincat. Commentum

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

A autem illud de combinatione corpusculorū iisdem argumentis refellitur; negant enim Authores isti formas omnes substantiales, quarum existentia satis demonstrata est, & quæ opponi possunt, disiecta.

§. II.

Generationis substantialis propria definitio.

Dico secundò, generationem substantialem, vt conuersio est, propriè definiti ab Aristotele textu 2, est *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente vt subiecto eodem.*

Primum dixi definiti generationem, vt conuersio est; potest enim sumi generatio, primum prout vnica est simplex mutatio, cuius terminus à quo est priuatio, & terminus ad quem est forma; sic enim præscinditur omnino à corruptione. Secundò prout vnà cum corruptione constituit vnā conuersionem, in qua duæ sunt simplices mutationes; conuersio enim dicit essentialiter corruptionem vnus, & alterius productionem: hoc posteriore modo definitur hic generatio, nō autem priore.

Secundò dixi, quod generatio *mutatio est*; vbi nomine *mutationis*, significatur transitus à quodam in quoddam: illud enim dicitur mutari quod ex vno termino transit ad alium; ideoque solum subiectum quod manet idem sub termino, tum incipiente, tum desinente, maximè propriè mutari dicitur. Terminus ad quem, præsertim totalis, dicitur generari; forma materialis generari etiam dicitur, non vt totum genitum, sed vt pars totius. Terminus à quo dicitur conuerti, quamuis etiam iste dicatur mutari quādo positius est; dicitur enim quod album mutatur in nigrum; & in Venerabili Sacramento dicimus mutari panem in corpus Christi: vnde dicit Aristoteles, esse mutationem *totius*, idest compositi, quod corrumpitur, id est termini à quo. Neque verum est, quod omne quod mutatur, manet idem sub vtroque termino.

Neque dicas: Generatio mutatio est: ergo terminus ad quem mutatur, si generatur.

Resp. enim esse mutationem totius in totum, idest mutationem compositi corrupti; non autem compositi geniti. Quod ergo generatur, non mutatur, sed quod corrumpitur.

Tercio dixi, generationem esse mutationem *totius in totum*; idest compositi substantialis in compositum substantiale: nam in conuersione quam definimus, corrumpitur compositum vnum substantiale; alterum verò producit. Sufficit autem ad corruptionem compositi, dissolutio vniouis, etiamsi neque materia, neque forma pereat. Per hoc ergo conuersio distinguitur à generatione præcisè sumpta, cuius terminus à quo priuatio est, non autem compositum. Definitur autem huiusmodi generatio, mutatio à priuatione formae substantialis ad formam substantialem in materia; præscindit enim à corruptione, fieretque si materia existens sine omni forma, nouam inciperet habere formam; estque facta eo modo quando primum Deus cœlum creauit & elementa: non enim illa facta sunt per creationem propriè dictam, sed per generationem, materia verò sola creata est; generatio enim actio est, quæ ita fit in materia vt non possit esse sine materia: creatio fit in materia, sed esse sine illa potest.

Quartò dicitur mutatio totius in totum, *nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem*; vt significetur nullum subiectum sensibile remanere in conuersione; nomine autem subiecti sensibilibus intelligitur compositum substantiale completum, quia nimirum accidentia sensibilia debentur toti vt fini cui, & vt subiecto denominationis: non enim

Duplex acceptio generationis.

Mutat

Totius in totum.

Nullo sensibili remanente.

G g enim

enim dicimus materiam esse calidam, sed ignem. Significatur ergo quod in conuersione compositum substantiale, quod prius erat, destruitur, ut si distinguatur ab alteratione, in qua compositum manet idem substantialiter, & ab vno termino transit ad alium.

Tres conditiones conuersionis.

Ex quibus colligitur primò, tres esse conditiones præcipuas veræ conuersionis, de quibus differunt fusi Theologi agentes de conuersione panis in corpus Christi in Venerabili Sacramento. Prima enim conditio est, ut duos habeat terminos positivos, quorum alter sit terminus à quo, & desinat; alter terminus ad quem, & incipiat: sic enim distinguitur à simplici generatione, in qua nihil perit; ab annihilatione, in qua nihil manet; à translocatione, in qua nihil noui producit. Altera conditio est ut inceptio vnius termini positivi, & desinitio alterius ita connectantur, ut vna pendeat ab alia, & vni eius efficiatur, cum enim v. g. aer acquirit lumen, & eodem tempore amittit sonum, nemo dicat quod sonorum conuertitur in lumen; quia introductio luminis non causat desitionem soni. Tertiâ demum conditio est, ut detur aliquid posituum vtrique termino commune, in quo, vel sub quo illi termini sibi mutuo succedant, alioqui non se mutuo expellent propter impossibilitatem, alioqui deesset dependentia illa & connexio, de qua dixi. Tale porro tertium in conuersione naturali est materia prima, in qua cum duæ formæ simul esse nequeant, necesse est ut adueniente vna decedat altera. Sed ad rationem conuersionis non est necesse ut materia prima maneat; satis enim est ut detur tertium aliquod, sub quo termini habeant impossibilitatem; ita ut hoc ipso quod vnus talis terminus ponitur sub tali tertio, necesse sit alterum abscedere; sic enim reperitur in illo tertio tota ratio propter quam materia fundat veram conuersionem. Transubstantiatio itaque sacramentalis conuersio est, sed non est generatio, quia in ea non sola perit forma, sed etiam materia; ideoque non seruatur idem subiectum sub vtroque termino.

§. III.

Quinam sint termini proprii generationis substantialis.

Conclusio
trimembris.

Dico tertio, nullam esse generationem substantialem, cuius terminus à quo positivus non sit compositum, quod destruitur; priuatiuus, non esse, seu carentia formæ genitæ: terminus ad quem totalis, & ut quod, compositum substantiale productum de nouo; terminus ad quem formalis, partim vni, partim etiam forma. Tres sunt partes conclusionis.

Terminus
à quo.

Prima & secunda faciles sunt; terminus enim à quo, est id quod destruitur generatione; destruitur autem compositum aliquod substantiale in omni conuersione, & desinit priuatio tum formæ, quæ inducitur in materiam; tum etiam vniouis. Ergo in omni conuersione duplex datur terminus desinens. Terminus verò ad quem, in omni generatione alter appellatur *formalis*, alter *totalis*. Terminus formalis est id ratione cuius dicitur aliquid generari, siue is qui immediatè accipiens esse per generationem, dat esse composito. Terminus totalis est is, qui propriè affirmatur generari, sicut in homine manus dicitur qua ope-

Terminus
ad quem
totalis.

A ratur; homo verò est operans: ratio autem cur in generatione substantiali, requiratur terminus formalis præter totalem, est quia compositum, qui est terminus totalis, non fit secundum se totum: ergo necessariò datur aliquid quod est ratio generationis, quod appellatur terminus formalis.

Itaque terminus totalis generationis est is qui generatione præcipuè intenditur: huiusmodi sine dubio est compositum, cum quodlibet intendat præferim producere sibi simile: ergo compositum terminus est totalis; solum enim illud dicitur generari, cum nihil illius præexistat, ut in homine genito; forma tamen non generatur.

B Tertia pars eget explicatione, dixi enim terminum formalem generationis neque solam esse vniouem, neque solam formam, sed vtramque, licet diuerso modo, saltem in composito humano, in quo sola vniou est terminus formalis productus, forma verò est terminus formalis solum communicatus: in compositis purè materialibus, tum vniou, tum forma termini sunt formales producti. Video autem meram hanc esse controuersiam de nomine; Vaquez enim solam formam vult esse terminum formalem; Suarez verò solam dicit esse vniouem; ego neutri assentior.

Primò enim quod vniou terminus sit formalis generationis, probatur, quia illud quod accipit esse per generationem, & quo posito statim habetur compositum, terminus est formalis generationis; cum enim generatio sit actio, necesse est ut per eam fiat aliquid, & accipiat esse: vniou autem huiusmodi est, quia est id quo forma vniuitur materiæ, & quod immediatè constituit compositum: ergo vniou est terminus formalis generationis, quæ sola etiam producit in generatione hominis.

C Secundo, quod etiam forma sit terminus formalis, saltem communicatus, probatur, quia ille terminus, per quem generans formaliter assimilatur sibi passum, est terminus formalis generationis; hoc enim est quod intendit: sed generans per formam assimilatur sibi passum: ergo forma est terminus formalis. Deinde terminus totalis humane generationis est homo: ergo terminus formalis est is quo fit, & quo constituitur homo per generationem: illud sine dubio est forma: ergo forma est terminus formalis.

D Obiicitur primò. Terminus formalis generationis est is, qui constituit compositum in tali lectio esse specifico; sola forma constituit compositum in tali esse specifico, vniou verò non est nisi conditio sine qua forma non illud constitueret; forma enim non posset constituere compositum nisi vniueretur, sicut calor non posset calefacere, nisi approximaretur: ergo sola forma est terminus formalis, non autem vniou.

E Resp. terminum formalem generationis non esse solum illud quod constituit compositum; est enim præterea id quod proximè attingitur, & fit per ipsam generationem, & quo mediante generatio attingit terminum vltimum. Negatur etiam quod vniou sit solum conditio sine qua non; est enim causalitas, quia influit, & ab ea compositum habet formaliter rationem compositi, siue vniui; hoc autem non habet approximatio, quæ non influit, neque constituit compositum.

Obiicitur secundo. Id quod existit ante generationem, non potest esse terminus generationis; non enim transit de non esse ad esse; neque vlla poterit dari ratio cur materia non sit terminus generationis.

Quaest. I. Sect. II. de Corrupt. substantiali. 351

generationis, si est æquæ de essentia compositi: sed anima rationalis existit ante generationem, saltem prius naturâ: ergo illa non est terminus generationis.

Resp. id quod existit ante generationem, esse non posse terminum formalem productum, sed esse posse terminum communicatum. Ratio cur forma terminus sit generationis, non autem materia, est quia terminus totalis non constituitur formaliter in tali specie per materiam, sed per formam.

Tertia ob-
iectio.

Obiicitur tertio, quando per generationem producit compositum materiale, actio qua producit vnio, deberet distingui ab actione qua producit forma: hoc autem absurdum est, quia actio per quam producit forma in materia, non est vlllo modo separabilis ab actione qua producit vnio: ergo generatio non habet duos terminos formales.

Resp. probabilius aliâs visum esse, quod educio formæ à materia duplicem includit actionem; alteram qua producit vnio, alteram qua producit forma.

Ratio est, quia vbi sunt duæ entitates numero distinctæ, ibi non potest esse vnica numero actio: vnio & forma sunt entitates distinctæ (vt probati aliâs:) ergo non sunt per vnica numero actionem. Probat maior, quia vbi est diuersa entitas, ibi diuersa est acceptio entitatis: actio autem est acceptio entitatis: ergo vbi diuersa est entitas, diuersa etiam actio est. Neque fieri potest vt eadem res sit modus rerum distinctarum, vt probati aliâs.

Neque obstat quod actio productiua formæ in materia, separari non potest ab actione productiua vnionis; verum enim est, quod separari non potest ab ea collectivè ac indeterminatè sumptâ; potest tamen separari ab ea sumpta distributivè ac determinatè: idest actio qua forma producit, non potest separari ab omni actione, qua producit vnio; sed separari tamen potest ab hac & ab hac determinata: sicut creatura existens separari potest ab hac & ab hac dependentia, sed separari non potest ab omni. Forma non potest esse in materia sine aliqua vnione, sed esse potest sine hac & illa. Debet itaque distingui hæc propositio: *Per eandem actionem forma producit, per quam fit in subiecto*; per eandem actionem *partialem*, concedo; per eandem *totalem*, nego; quia actio totalis qua producit forma in materia, includit duas actiones partiales.

SECTIO II.

Quidditas corruptionis substantialis.

Genesis sequitur Exodus, idest, vt aptè luse Nyssenus, generationem corruptio, quæ primum debet definiti, secundò inquiri debet, vtrum sit actio positiva, tertio vtrum sit naturalis, quarto quomodo connexa sit cum generatione, quinto an sit illa prior, an posterior.

Corruptio-
nis definitio.

Dico primò, corruptionem rectè definiti, *Est mutatio à forma substantiali ad priuationem formæ substantialis in materia.*

Primò dicitur *mutatio*, quia per corruptionem aliter materia se habet quam ante illam; aliquando autem materia se aliter habet, eo quod acquirit aliquid reale; aliquando se aliter habet, eo quod amittit aliquid; quæ vocatur mutatio priua-

R. P. de Rhodes curs. Philosoph.

tiua. Huiusmodi mutatio est corruptio, quam idè dixi esse *mutationem à forma substantiali ad eius priuationem in materia*. Sic enim differt à generatione, cuius terminus ad quem est esse formæ; corruptionis autem terminus ad quem est non esse formæ. Deinde differt ab annihilatione, quæ desitio est entis in nihilum, idest ita vt nihil remaneat talis entis: annihilatio enim est desitio entis independentis à subiecto: vel certè desitio est tum subiecti, tum formæ; corruptio verò desitio est solius formæ dependentis à subiecto; in ea enim subiectum manet destructa forma. Vtrum verò in Eucharistica consecratione substantia panis dici debeat annihilari, & vtrum corpus ipsum dici debeat corrumpi, quando species sacramentales corrumpuntur, dixi agens de Eucharistico Mytherio; neutrum enim verum est, quia non annihilatur substantia panis, cum in aliud conuertatur, & maneat eius accidentia; neque Christi corpus annihilatur, cum esse suum alibi retineat; neque corrumpitur, cum non pereat forma manente materia. Sed de hoc alibi.

Dico secundò, corruptionem non esse actionem positivam, licet eam naturaliter semper adiunctam habeat.

Ratio est, quia dupliciter fieri potest priuatio, cuius fieri corruptio est. Primò itavt sequatur ex productione rei quæ fit, vt cum introducto frigore in aquam calor expellitur. Secundò fieri potest priuatio per se solam, vt cum aer ex tenebroso fit lucidus; tunc enim priuatio eo ipso fit, quòd nihil fit. Corruptio itaque substantialis naturaliter fit eo priori modo; cum enim præsupponat semper formam aliquam in materia, semper etiam habet adiunctam actionem aliquam, per quam inducitur nova forma, & expellitur prior forma: sed ipsa corruptio positiva non est actio, quæ per se immediatè non potest tendere ad non esse; actio enim positiva terminum necessariò habet positivum: corruptio per se immediatè tendit ad non esse: ergo corruptio non est per se actio positiva, sed coniuncta semper est actioni positivæ. Deinde actio est influxus; nemo autem influere potest non esse: ergo non potest actio terminari ad non esse: sed non esse fit eo ipso quod nihil fit.

Obiicitur. Vbi est agens, ibi est actio: sed corruptio causatur semper ab aliquo agente: ergo corruptio est actio. Deinde vbi non est actio, ibi non est contrarietas: sed corruptio fit per contrarietatem: ergo est actio.

Obiectio.

Respondet distinguendo primam maiorem. Vbi est agens aliquid produciens, ibi est actio, concedo; vbi est agens desinens agere, ibi est actio, negatur. Corruptio per se non causatur ab aliquo agente producente aliquid, sed causatur per se ab agente quod desinat agere: per accidens autem causatur ab agente quod producit aliquid impossibile, idè corruptio semper adiunctam habet actionem terminatam ad aliquid impossibile cum forma quæ corrumpitur: sed ipsa non est actio; vnde distingui aliter posset illa maior. Vbi est agens, ibi est actio quæ terminetur ad formam corruptam, nego; quæ terminetur ad formam cum ea impossibilem, concedo. De contrarietate ratio eadem est; ibi enim non est contrarietas, vbi non est actio terminata ad aliquid impossibile; sed non est necesse vt sit actio terminata ad formam ipsam corruptam.

Gg 2

Dico

Dico tertio, corruptionem non intendi per se à natura, sed solum per accidens; atque adeo illam esse aliquo modo naturalem, sed improprie.

Ratio est, quia illud per accidens tantum intenditur, quod non intenditur nisi propter coniunctum cum alio. Corruptio non intenditur nisi propter est coniuncta cum generatione, quam agens per se appetit; nihil enim appetitur per se, nisi quod appetitur propter bonitatem quam in se habet, siue finis, siue medium: corruptio autem cum non sit ens, nullam habere potest in se bonitatem: ergo corruptio non intenditur nisi per accidens.

Inde concludebam, corruptionem non esse naturalem nisi valde improprie; quia illud proprie loquendo dicitur naturale, ad quod aliqua res inclinationem habet tanquam ad bonum suum: nihil autem est quod possit habere inclinationem naturalem ad corruptionem tanquam ad bonum suum, ut patet: ergo corruptio non est proprie naturalis. Improprie naturale dicitur, quod vel sequitur naturam rerum, vel non est artificiosum aut supernaturale. Corruptio sequitur naturam rerum corruptibilem, non quod ipse corruptionem exigant, sed quod ipsis non debeat perpetua conservatio, quæ si eis denegetur, nihil fiet præter debitum naturæ ipsarum. Deinde corruptio nec est artificiosa, nec supernaturalis: est igitur aliquo modo naturalis.

Dico quarto, generationem & corruptionem ita naturaliter esse semper connexas, ut una nunquam esse possit sine altera; idem verè pronunciatum est à Philosopho 1. de generat. textu 17. & 20. quod generatio unius est corruptio alterius; hoc enim in sensu causali, non autem in sensu formali verum est de solis substantiis; falsum verò de accidentibus non habentibus contrarium.

Ratio est, quia illud axioma verum esse in sensu causali, non significat aliud nisi quod generatio unius semper iuncta est cum corruptione alterius; sensus enim causalis dicit habitudinem quandam causalitatis, & mutui nexus inter prædicatum & subiectum: sed verum est quod generatio unius adiunctam semper habet alterius corruptionem; materia enim naturaliter nunquam est sine omni forma, & non potest habere duas formas: ergo in sensu causali verum est quod generatio unius est corruptio alterius. In sensu formali, generatio unius est corruptio alterius, significaret generationem esse idem cum corruptione; sensus enim formalis significat identitatem prædicati & subiecti: implicat autem, ut patet, ut generatio positiua idem sit cum corruptione, quæ negatio est. Positis autem formis partialibus, quas in compositis viventibus nonnulli admittendas putant, falsum esset illud axioma: nam moriente homine, non fieret nova generatio, & eo genito non fieret corruptio; sed de hoc dicam tract. 5.

Dico quinto, generationem & corruptionem esse quidem simul tempore, sed generationem esse simpliciter priorem, tum natura, tum ratione, quàm corruptionem.

Prima pars de similitudine temporis euidens est: si enim generatio fieret aliquo instanti ante corruptionem, certè in illo instanti essent duæ formæ simul in eadem materia; si corruptio fieret ante generationem, vel duo instantia essent immediata, quod non admittitur; vel medio illo tempore materia esset sine vllis formis. Imò effectus prior esset quàm causa; generatio enim causat

A corruptionem, ut statim dicam: ergo manifestum est quod corruptio & generatio eodem instanti finiuntur.

Secunda pars de proprietate naturæ difficilior est, quia licet omnes communiter admittant, quod ex parte agentis generatio prior est corruptione, siue ut actio quædam est; tamen quod generatio ex parte materiæ, siue ut passio est & receptio, posterior sit quàm corruptio, docent cum S. Thoma 1. 2. quæst. 113. art. 8. ad primum, Vascquez 1. 2. disput. 211. cap. 2. Valent. ibid. disput. 8. quæst. 5. pag. 6. Contrarium tamen videtur probabilius.

Ratio est, quia id quod causat aliud, debet esse prius eo, cuius causa est: sed introductio nouæ formæ causat expulsionem formæ veteris; nam agens non expellit veterem formam nisi nouam introducendo; & vera est hæc causalitas, Ideo aqua definit esse frigida, quia in eam inducitur calor. Ergo absolute verum est quod generatio est prior corruptione.

Responderi potest eo quidem argumento probari, quod generatio ut actio quædam est, siue propter respicit agens, prior est corruptione propter respicit agens; sed non probari, quod generatio propter passio quædam & receptio est, siue propter respicit materiam, sit prior corruptione quæsi passiva, siue propter respicit materiam. Quemadmodum illuminatio ut actio est, prior est actiua expulsionem tenebrarum, quamvis illuminatio ut passio est, posterior sit passiva expulsionem tenebrarum; alioqui simul essent lux & tenebræ. Cum ventus aperit fenestram, ingressus venti causans apertionem fenestræ prior est quàm apertio actiua ipsius fenestræ, quamvis passiva apertio fenestræ prior sit quàm passiva ingressus venti. Quod pluribus aliis exemplis probari potest.

Sed contra; nam duæ causæ (præter finalem & efficientem) nunquam esse possunt sibi mutuo causæ, tum in eodem, tum in diuerso genere causæ: sed si generatio esset prior quàm corruptio ex parte agentis, siue ut est actio; & posterior ex parte materiæ, siue ut est passio; manifestum est quod duæ causæ mutuo erunt sibi causæ in diuerso genere: nam ubi est prioritas mutua naturæ, ibi est mutua causalitas: sed hic ponitur mutua prioritas naturæ inter generationem & corruptionem: ergo inter illas erit etiam mutua causalitas. Neque dici potest quod corruptio non sit causa generationis, sed tantum quod ea sit prior per modum conditionis: nam omnis prioritas naturæ causalitas est; significat enim dependentiam ergo implicat dicere aliquid esse prius naturæ per modum conditionis. Neque aliter in exemplis allatis dicendum est; illuminatio enim simpliciter & formaliter idem est cum expulsionem tenebrarum: ergo implicat ut sit ea prior, vel posterior. Apertio fenestræ simpliciter prior est quàm ingressus venti à quo aperitur fenestra; quia id quod causat apertionem fenestræ, non est ingressus venti, sed est impulsus quem ventus imprimit fenestræ, ut notauimus alias.

Obicitur tamen primò. Materia prius intelligitur proxime apta & disposita ad receptionem nouæ formæ quàm actu illam recipiat: sed non potest intelligi proxime apta & disposita ut recipiat nouam formam, nisi intelligatur carere forma opposita; nam quandiu habet aliquid incompensabile cum forma, non est apta ut eam recipiat: ergo prius intelligitur carere formâ oppositâ, quàm recipiat

recipiat formam nouam. Sed carentia veteris formae, corruptio est: ergo corruptio est prior quam generatio. Deinde vera est haec causalis, *Ideo materia proximè apta est ad recipiendam formam, & ideo illam recipit, quia non habet veterem*: ergo prius est carere vetere forma, quam recipere nouam.

Resp. negando primam maiorem, quia materia proximè apta est vt recipiat nouam formam, quando intelligitur esse proximè disposita ad expulsi- nem veteris formae; non enim opus est vt actu careat veteri forma; sed satis est vt proximè disposita sit ad eam carentiam. Quando habet aliquid in- compossibile cum forma noua, potest esse apta vt eam recipiat, si sit in eo statu in quo forma noua statim expellat illud incompossibile. Quemadmo- dum proximè sum aptus ad motum localem in cu- biculo, quod est plenum aëre, quia proximè aptus sum ad expellendum aërem cubiculi: similiter enim forma noua proximè apta est vt sit in mate- ria, si tales sint dispositiones in materia vt forma noua expellere possit veterem formam. Negatur autem quod causalis haec vera sit, *Ideo materia proximè apta est ad receptionem nouae formae, quia caret forma vetere*; non enim ideo recipit nouam, quia caret vetere; sed potius ideo vetere caret, quia nouam recipit. Carentia ergo veteris formae non est causa introductionis nouae formae, sed est con- ditio requisita in posteriori natura.

Obiicitur secundò. Finis in exequutione po- sterior est quam media: sed generatio est finis, cor- ruptio enim intenditur propter generationem: ergo generatio in exequutione posterior est quam corruptio.

Respondetio finem esse posteriorem medijs per se concurrentibus; non esse posteriorem medijs con- currentibus tantum per accidens. Corruptio per se non concurret ad generationem, sed per acci- dens illi coniuncta est vt conditio in posteriori natura necessaria; ideo non est prior corru- ptione.

Obiicitur tertio. Si generatio est prior corrup- tione, sequitur quod in eodem instanti simul in materia erunt duae formae; in illo enim priori, quo generatio praecedit corruptionem, est sine du- bio noua forma genita; non enim est generatio sine forma genita: & est etiam forma corrum- penda, quia forma est quandiu non est corrupta; quando autem nondum est corruptio, forma non est corrupta: ergo quandiu non est corruptio, est forma. Sed in illo instanti, quo generatio praecedit corruptionem, nondum est corruptio: ergo in illo instanti est forma vetus: ergo simul sunt for- ma vetus, & forma noua.

Resp. nullo modo sequi, quod duae formae si- mul sint in materia; nam quo instanti temporis est generatio, eodem etiam est corruptio; atque adeo eo instanti forma vetus desinit extrinsecè, ita vt dicere liceat, *Nunc non est, cum prius esset*. Instantia enim naturae non sunt instantia duratio- nis, sed solum dependentiae. Itaque negatur illa propositio, *In illo priori natura, quo generatio praecedit corruptionem, nondum est corruptio*. Negatur, inquam, quia in illo priori est corruptio, sed de- penderet à generatione; instans enim natura non est instans in quo, sed instans à quo: non igitur licet dicere, *Nunc est generatio, & non est cor- ruptio*; sed vtraque tunc ita est, vt vna dependeat ab alia, non autem contrà.

Obiicitur quarto. Quoties duo inuicem pug- nando vnum destruit aliud, necesse est vt sint si- mul; quomodo enim id quod est, pugnare potest

A cum eo quod non est? Sed forma ignis v.g. ex- pellit formam ligni pugnando cum ea: ergo for- ma ignis & forma ligni sunt simul; ignis enim v.g. non pugnat cum ligno tunc quando non est adhuc productus; neque pugnat cum ligno tunc quando lignum non est: ergo pugnat tunc quan- do sunt ambo simul.

Resp. pugnam istam formarum impossibili- tum non debere sic intelligi, vt vna singulari veluti certamine congregiatur cum altera; sed in eo consistere hanc pugnam, vt vna compati non possit alteram, sed ea introducta necesse sit alteram abscedere; pugna enim ista est impossibilitas duarum formarum, quarum vna non alteram ferit, aut vulnerat, sed accessu suo facit vt abscedat, & non sit. Ignis ergo pugnat cum ligno eo instanti, quo primum est ignis, & primum non est lignum.

SECTIO III.

Virum in generatione detur resolutio vsque ad materiam primam.

Dixi quidditatem generationis & corruptionis substantialis: nunc de vtraque simul inquiri potest, vtrum quando compositum vnum substan- tiale de nouo gignitur, & aliud destruitur, manen- te materia prima eadem in vtroque, ita pereat prior forma substantialis, vt cum ea pereant omnia etiam accidentia, quae satellitium erant veteris formae, ad- ueniantque accidentia omnino noua cum forma noua, quae sua etiam adducat accidentia; sic enim sola manebit materia prima compositi destructi sub composito genito.

Dico primò, videri omnino certum, quod in generatione substantiali nunquam dari potest reso- lutio vsque ad materiam, sed multa manent in composito genito accidentia compositi corrupti. Ita docent multi, quos adducit Suarez *disp. 11. sect. 2.* vbi etiam late probat illam fuisse sententiam S. Thomae; cum tamen Thomistae omnes eant in contrariam.

Ratio est primò, quia non pereunt accidentia omnia, quae fuerunt in composito corrupto, si nula possit assignari causa eorum accidentium, quae sunt in genito: sed saepe nulla causa potest assignari accidentium quae sunt in genito; si non sunt eadem accidentia quae fuerunt in corrupto: ergo eadem accidentia quae fuerunt in corrupto, ma- nent in genito; & sic non fit resolutio vsque ad materiam primam. Probatur minor: moriatur ali- quis in aqua frigida plures in corpore habens ci- carices; tunc sub forma cadaueris manent om- nes cicatrices, imò & calor ipse manet aliquandiu. Causa illarum cicatricum non est aqua, neque for- ma cadaueris, vt patet; alioqui omnia cadauera cicatrices haberent, quando mors in aqua contin- git. Caloris etiam illius causa non est aqua fri- gida, neque forma cadaueris, cui connaturale fri- gus est, non calor. Imò & figuram hominis quis producere potest nouam, si prior destruitur? Non enim recurrere licet ad formam cadaueris deter- minatam à materia sic prius disposita, vt talia exi- gat accidentia: nam si pereunt accidentia omnia, pereunt etiam omnes dispositiones materiae prius sic affectae: manetque materia omnino nuda: sed materia nuda non exigit magis vnum acci- dens quam aliud: ergo materia non determi- nat formam cadaueris ad productionem horum ac- cidentium.

Conclusio
negatiua.

Secunda
obiectio.

Tertia ob-
iectio.

Quarta ob-
iectio.

Secundò si datur resolutio vsque ad materiam primam in generatione, forma de nouo genita nullam habet causam proximam à qua possit produci: nam accidentia sola possunt immediatè producere formam, vt probauit 2. *Physicorum*, & tenent Thomistæ: sed accidentia nulla poterunt producere formam; ea enim quæ sunt in agente, non producant, cum illud sepe absit, & mortuum sit quando viuens producit; illa verò accidentia quæ sunt in passio, pereunt omnia in instanti generationis: ergo nulla sunt accidentia quæ producere possint formam. Imò inutiles omnino erunt dispositiones omnes, quæ in materiam introducuntur, si debent omnes perire adueniente noua forma.

Tertiò sequeretur omnino, quod dici posset de eodem, & eodem tempore, *est*, & *non est*: volo enim spoliari diuinitus lignum omni frigore, & in ignem conici; tunc ignis in instanti producet calorem, & generabit ignem; ille calor erit in eo instanti, quia producit; & non erit, quia accidentia corrupti non sunt in genito: ergo erit, & non erit.

Obiicitur primò, Aristotelem sepius indicasse resolutionem hanc vsque ad materiam primam; dicit enim quod in generatione *nullum manet sensibile*; quod est nullum manere accidens in generatione. 1. *Physicorum* de materia prima loquens sic ait: *Si quid corrumpitur, in hoc abiit ultimum*; quod sanè aliud non est quàm dari resolutionem vsque ad materiam primam. Et alibi ait quod *destructis primis substantiis nihil remanet*.

Resp. Aristotelem omnino à nobis stare; docet enim v. g. elementa symbola mutari facilius inuicem, quàm dissimila, quia in illis vna tantum mutatur qualitas, cum in aliis mutetur duplex. Cum ergo ait, quod in generatione nullum remanet sensibile, significat, vt dixi, non manere compositum idem substantiale. Destructis primis substantiis, docet destruenda esse omnia, quia si nulla essent composita substantia, non essent vlla etiam accidentia: non docet quod destructa vna prima substantia, pereunt omnia quæ prius erant accidentia. Denique verè dicit quod in materiam primam vltimò abiit composita, si eo modo resoluatur ulterius non possent.

Obiicitur secundò. Substantia prior est quàm accidens: sed si accidentia corrupti manent in genito, substantia non erit prior illo accidente quod remanet: ergo nullum accidens corrupti manet in genito. Deinde sicut substantia se habet ad accidens, ita compositum substantiale se habet ad accidentale: sed substantia est prior quàm accidens: ergo compositum substantiale prius est quàm compositum accidentale.

Resp. verum esse quod substantia quæ subiectum est inhesionis, prior est accidente, nempe materia prima: sed substantia quæ non est subiectum inhesionis, nempe compositum substantiale, non est prior accidente. Similiter verum est, quod sicut se habet substantia, quæ est subiectum inhesionis, ad accidens, ita se habet compositum substantiale ad accidentale: sed non substantia quæ non est subiectum inhesionis.

Obiicitur tertiò. Prius est materiam habere formam substantialem, quàm accidentalem: atqui si non fiat resolutio vsque ad materiam primam, prius habebit materia formam accidentalem, quàm formam substantialem: ergo sit illa resolutio. Probat maior. Esse simpliciter prius est quàm esse secundum quid: v. g. prius est aliquem esse homi-

nem, quàm esse album: sed forma substantialis dat esse simpliciter, forma verò accidentalis dat tantum esse secundum quid: ergo materia prius habet formam substantialem quàm accidentalem. Deinde idem est ordo in recipiendo qui est respiciendo: sed materia respicit prius formam substantialem: ergo prius etiam illam recipit.

Resp. negando quod materia prius habeat formam substantialem, & quod esse simpliciter prius sit quàm esse secundum quid; hæc enim omnia falsa sunt, nec possunt probari, quamquam etiam distinguere possent: *Materia prius habet formam substantialem indefinitè sumptam*, id est aliquam formam substantialem, concedo; prius habet formam substantialem sumptam distributivè, nego. Sicut etiam non est verum quod idem sit ordo in recipiendo qui est in respiciendo.

Obiicitur quartò. Si accidentia corrupti manent in genito, sequitur quod proprietates non emanant ab ipsa rei essentia; sunt enim ante illam, vt patet. Deinde subiectum inhesionis accidentium est totum substantiale: ergo mutato toto substantiali, tolluntur accidentia, quæ non migrant de subiecto in subiectum.

Resp. vt proprietates emanent ab essentia rei in eo gradu in quo sunt proprietates, non esse necesse vt emanent secundum omnes gradus; nam calor v. g. est proprietates ignis proptèr est in certo gradu, & in eo gradu emanat ab ipsa forma ignis. Quod addebatur de subiecto accidentium, longioris exigit explicationem.

Dico secundò, accidentia materialia immediatè inherere soli quantitati; quantitatem autem esse in materia sola vt in subiecto inhesionis, in composito autem vt in subiecto denominationis.

Ratio evidens est. Primò enim quod qualitates omnes inhereant quantitati, patet ex mysterio Eucharistiæ, in quo sola quantitas est extra subiectum, & reliqua sustentant accidentia. Secundò quod quantitas non inhereat toti composito, certum est, alioqui deberet in homine quantitas inherere animæ rationali, & efficere illam quantam, albam & nigram: nam inherere alteri vt subiecto, est informare; informare autem est transfundere illi suum effectum formalem. Imò etiam forma materialis presupponit semper quantitatem, quia non potest educi ex materia nisi illa fuerit quantitas.

Obiicitur primò. Forma materialis quanta est, & extensa: sed si quantitas non sit in forma materiali vt in subiecto inhesionis, sed soli materie inhereat forma materialis, non magis dici debet quantitas, quàm anima rationalis; idem enim erit quantitas, quia vnitur materie quantæ, cui etiam æquè vnitur anima rationalis: ergo quantitas inheret formæ substantiali.

Resp. formam substantialem materialem idem dici quantam & extensam, quia sic vnitur materie quantæ vt existere sine illa nequeat; animam verò rationalem non dici quantam, quia potest existere sine quantitate, sicut non dicitur materialis, eo quod existere possit absque materia.

Obiicitur secundò. Accidentia quæ sunt proprietates ipsius formæ, necessariò sunt in ipsa forma inhesionis, alioqui non sequerentur formam, nec essent eius proprietates; imò si forma conseruaretur diuinitus sine omni materia, non deberet esse sine vllis accidentibus; si enim forma substantia est, necessariò substantia accidentibus.

Resp. nullum accidens inherere formæ, nec est necesse vt proprietates formæ inhereant illi vt subiecto inhesionis; sed satis est vt sint in eodem

Prima obiectio.

Secunda obiectio.

Tertia obiectio.

dem composito, præsertim cum magis proprietates sint compositæ. Neque necesse est ut qualibet substantia subiect accidentibus tanquam subiecto in hætionis; sed satis est quod illis subiect ut subiecto denominationis. Si autem poneretur diuinitus forma extra subiectum, illa non seruaret naturaliter vllum accidens.

SECTIO IV.

Possint res corrupta iterum produci.

Difficultas primò est, vtrum ad naturaliter, & absque miraculo possit fieri. Secundò, vtrum diuinitus, & cum miraculo reproduci possit tum ens permanens, tum successiuum.

Impossibi-
lis repro-
ductio.

Dico primò, nullam rem semel corruptam posse naturaliter reparari eadem numero, siue illa fuerit substantia, siue accidens. Contrariam tenere sententiam tum Platonici, tum Pythagoræi; quorum illi *palingenesiam* quandam inducebant, siue reuolutionem annorum 37000. vel ut alij volunt, 49000. Aliorum nota est *metempsychosis*, seu migratio animarum.

Alter erit tum Tiphys, & altera qua vehat Argo Delectos Heroas, erunt etiam altera bella.

Richardus verò & Scotus putant accidentia eadem posse reproduci, imò alia elementa. Contrarium censent alij omnes cum Philosopho, cuius solemniss est ea vox, quod *à priuatione ad habitum non datur regressus*.

Ratio tamen difficilis est. Primò autem sumitur ex natura ipsius rei corruptibilis, quæ ubi semel producta & corrupta est, habuit totum quod ipsi debebatur, neque amplius exigit produci. Secundò sumitur ex natura potentie actiue naturalis: illa enim nihil potest producere nisi ad quod illam determinat causa prima: sed causa prima non determinat ad reproductionem entis semel corrupti, quia multiplicatio indiuiduorum facit ad perfectionem vniuersitatis: ergo virtus actiua naturalis non reproducit res corruptas. Et colligi etiam potest ex eo quod naturaliter iudicauerint semper omnes gentes, quod mortuorum resurrectio commentitia esset & impossibilis: vnde Plinius lib. 7. cap. 55. *De reuiscendis corporibus promissam à Demarato vanitatem, & auida nunquam desinere mortalitatis commenta*. Et Tertullianus cap. 7. de præscript. *Ut resurrectio carnis negetur, de vna omnium Philosophorum schola sumitur*. Imò videtur certum in fide, quod mortuorum resurrectio sit per diuinam potentiam operantem supra naturam: ergo naturaliter impossibilis est reproductio rei corruptæ.

Prima ob-
iectio.

Obiicitur primò. Si aliquid obstat quominus iterum possit produci res corrupta, illud non est nisi decretum Dei, qui statuit non determinare causas secundas ad reproductionem rerum corruptarum: sed solum illud decretum non facit ut reproductio rei corruptæ sit supernaturalis: ergo non est supernaturalis. Maior est euidens, quia nec ex parte materie id potest repugnare, quæ indifferens est ad quidlibet recipiendum; nec ex parte agentis, quod etiam est indifferens ad quidlibet producendum: si enim lignum proximè dispositum sit ad formam ignis, quare non eodem modo poterit produci ignis heri corruptus, ac alius quilibet ignis? Quando embryo est perfectè organizatus, quare non eodem modo illi vniri poterit forma hominis heri mortui, ac alia quilibet anima? Denique ut producat calor heri

A corruptus, sufficit ut sit nunc eadem potentia, tum actiua, tum passiva, quæ fuit heri: atqui vtraque prorsus eadem est.

Resp. quidem, quod si solum obstat decretum Dei accommodatum naturali exigentia rerum corruptibilium, tamen rerum reproductio esset aliquo modo supernaturalis, quia esset supra rerum corruptibilium naturalem exigentiam. Secundò nego solum obstat Dei decretum: tum quia potentia actiue naturales ex se non ordinantur ad reproductionem rei iam corruptæ: tum etiam quia non ponuntur semper omnes circumstantie necessariae ut talis effectus producat; cum enim in puluerem redactum est cadauer hominis, & in vermes resolutum, tunc certum est

B quod non solum obstat Dei decretum, ne idem resurgat homo; atque ita mortuorum resurrectio excedit vires totius nature.

Obiicitur secundò, plures legi factas à Gentilibus mortuorum resurrectiones: v.g. scribit Philostratus lib. 6. mortuos aliquot suscitatos esse ab Apollonio. Idem de Enarcho quodam narrat Plutarchus lib. de anima, de Gabieno Plinius, de Ere Armeno Plato, de Zaela Aegypto Apuleius: alij quidem de Tyndareo, Glauco, & Admeto Aesculapij ope suscitatis. Vide Delrium lib. 2. q. 29. sect. 2. qui eam in rem mira narrat. Deinde dicitur etiam esse quasdam herbas, quibus ad vitam suscitantur mortui; sic etiam naturaliter muscas notum est submersas reuiuiscere, si ponantur in cineribus tepidis; apes quoque si succo neptæ perfundantur; anguilla defectu aquarum mortuæ, si integræ in acetum iniiciantur; & permisceatur sanguis vulturis, ac sub fimo recondantur; paucos intra dies redduntur vitæ: referunt etiam Authores leunculum demortuum spiritu & voce parentis resuscitari. Idem mustellæ iuris in catulos. Avis quam Indi Vixilinum vocitant, moritur hieme; vere reuiuiscit. Narrat Epiphanius, myochum, terrestre animal, mori per sex menses, inde reuiuiscere: palumbem quoque post dies quadraginta resuscitari. Adde his bombycem vermiculum, de quo pulchre differunt Basilii & Ambrosii in hexamero. Refert etiam S. Augustinus in Psalm. 101. pelicanum suscitare proprio cruore mortuos pullos. Denique de phœnice nota historia est, non fabula, ut etiam ex Scripturis probat Ambrosius lib. de fide resurrectionis, c. 23. & Tertullianus lib. de resurrect. carnis, cap. 13. quia dicitur Iobi 29. *Quasi phœnix multiplicabo dies*. Deinde meminere huius miraculi Scriptores prophani & sacri, ut latè refert Pamelius in citatum locum Tertulliani. *Illum dico orientis alitem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum, qui semetipsu libenter funerans, reuocat in vitam, natali sine succedens atque decedens; iterum phœnix, ubi iam nemo; iterum ipse, quia non iam.*

Secundæ

C Resp. cum eodem Delrio, eas omnes demortuorum resurrectiones factas à Gentilibus, si non sint fabulæ, præstigijs fuisse demonis; qui vel mortuorum aliquando corpora ingreditur, & ea mouet; vel mortuos aliquando fingit, qui reuera non sunt mortui. Deinde illarum herbarum vis ad mortuos reparandos mihi est valde dubia, & si veri habet aliquid, non eadem numero reparat animalia, sed eadem specie. De phœnice, quod omnium voce celebratur, fabulosum esse putant Delrio tom. 2. adagio lib. 16. Aldrouandus lib. 12. ornithol. cap. 18. Fernandus cap. 7. didascalium. Habetur autem apud Iobum, *Quasi palma multiplicabo dies*, autem

E Resp. cum eodem Delrio, eas omnes demortuorum resurrectiones factas à Gentilibus, si non sint fabulæ, præstigijs fuisse demonis; qui vel mortuorum aliquando corpora ingreditur, & ea mouet; vel mortuos aliquando fingit, qui reuera non sunt mortui. Deinde illarum herbarum vis ad mortuos reparandos mihi est valde dubia, & si veri habet aliquid, non eadem numero reparat animalia, sed eadem specie. De phœnice, quod omnium voce celebratur, fabulosum esse putant Delrio tom. 2. adagio lib. 16. Aldrouandus lib. 12. ornithol. cap. 18. Fernandus cap. 7. didascalium. Habetur autem apud Iobum, *Quasi palma multiplicabo dies*, autem

ubi legitur, *quasi phœnix*: *quoniam enim palmam* græcè sonat. Et sane ut suspectum hoc sit, facit incredibilis Authorum varietas, qui de illo agunt: v.g. tribuntur illi aui à Plinio *lib. 16. cap. 2.* anni vitæ sexcenti sexaginta: à Martiali anni mille, *Mela tribuit lib. 3.* annos quingentos: Solinus *cap. 46.* annos quingentos quadraginta. Ex Patribus Clemens Romanus *lib. 5. constitutionum, c. 6.* ait phœnicem vivere in Arabia, & quingentesimo anno ad solis aram euolare, & ibi extructo busto odorato, ad orientem solem conuerti, atque comburi. Ambrosius ait illum thecam ex aromatica materia factam parare in Æthiopia, & vehere in Lycaniam, vel tumultum corporis, vel incunabulum resurgentis, in quo deficiens occidit, & occidens resurgit. Author epistolæ ad Præsidium, inter epistolas Hieronymi, narrat samentis à Sacerdote Heliopolitano paratis phœnicem imponere electrum & aromata, & solis ardore incendi electrum, & sic exuri aromata. Ait Epiphanius in ardentem nidum diuina dispensatione immitti nubem, quæ soluatur in pluuiam, & flammam extinguat, quæ phœnix consumitur; eâ extinctâ restare carnis reliquias, è quibus postmodum gignatur vermis. In hac tanta sententiarum varietate difficile est de veritate non dubitare. Si autem fabula illa non est, certe non refurgit idem qui prius erat phœnix, sed priori similis.

Conclusio
secunda.

Dico secundò, posse per diuinam virtutem corrupta quælibet reproduci, siue permanentia illa fuerint, siue successiua. Negant permanentia præter hominem posse reparari Durandus & Marfilus: de successiuis quibuslibet negant Thomista.

Ratio tamen generalis est, quia nec ex parte Dei reproducentis, nec ex parte creaturæ reproducendæ implicat ea reproductio; res enim postquam est corrupta, non minùs intra Dei potentiam manet, quàm antequam crearetur ex nihilo; & res postquam est corrupta, non habet maiorem repugnantiam ad esse quàm antequam exiret è nihilo. Accedit etiam mortuorum resurrectio, quam docet fides; ab ea enim ad aliarum quarumlibet rerum reproductiōem firma est argumentatio.

Tertia.

Dico terriò, productionem rei semel corruptæ supernaturalem non esse secundum substantiam, sed secundum modum extrinsecum.

Ratio est, quia supernaturale secundum substantiam, dixi 2. *Physicorum*, esse illud quod habet entitatem debitam cuiusque subiecto: huiusmodi sunt gratia habitualis, actus fidei ac charitatis. Supernaturale secundum modum intrinsecum est illud, cuius entitati naturali superadditur modus aliquis indebitus cuiusque subiecto: huiusmodi est modus præsentis, quem habet Christi Corpus in Sacramento. Supernaturale secundum substantiam est illud, quod licet purè sit naturale, aliquo tamen modo fit, qui nulli subiecto potest esse debitus, ut cum restituitur visus solo imperio, naturalis est ille oculus; sed modus ille restituendi sine vllis dispositionibus, & sola voce imperantis, non est naturæ debitus. Reproductio rei corruptæ non est primo modo supernaturalis, sed tantum ultimo; nulla enim entitas supponitur produci, quæ non sit naturalis; sed indebito tamen modo fit, quia infringit naturæ statas leges, quia sine prauis dispositionibus peragitur; imò cum dispositionibus sepe contrariis, quia subito, quia per imperium, in actu scilicet oculi: & in

A tuba Dei mortuorum fiet resurrectio, quæ propere plena erit miraculis.

Obicitur primò. Vbi est duplex duratio, ibi duplex est existentia, atque adeò duplex essentia: res reproducta duplicem habet durationem: ergo duplicem habet existentiam, & essentiam, & sic eadem non est. Imò ad unitatem motus requiritur continuitas: motus reproductus non haberet continuitatem, cum esset interruptus: ergo non esset vnus motus. Denique res successiua non potest permanere in esse, alioqui successiua esset & non esset: si autem Deus millies reproduceret eundem quadrantem, ille per mensem duraret & conseruaretur: ergo non potest quadrans reproduci.

B Resp. distinguendo primam maiorem. Vbi est duplex duratio *intrinseca*, ibi duplex est existentia, concedo; vbi duplex tantum est duratio *extrinseca*, ibi duplex est existentia, nego. Res quæ reproduceretur, vnica haberet durationem intrinsecam, quæ duplici corresponderet durationi extrinsecæ. Verum est quod ad unitatem motus requiritur continuitas inter partes motus; ille autem motus qui per corruptionem deflisset, esset tamen continuus, quia inter eius partes facta non fuisset interruptio. Verum etiam est rem successiuam non posse totam simul conseruari, sed posse successiue conseruari. Quadrans ille qui duraret per mensem, successiue tamen duraret, neque conseruaretur totus simul, sed semper vna reproductio sequeretur alteram.

C Obicitur secundò. Facere non potest Deus ut *Secundum* præteritum non sit præteritum: sed si motus præteritus reproduceretur, præteritum non esset præteritum; quod enim actu existit, non est præteritum, sed præsens. Deinde facere non potest Deus ut qui natus est ante annos centum, neque mortuus est, vixerit tantum vno quadrante: potuisset autem vivere tantum vno quadrante, si quadrans ille sapius esset reproductus. Denique facere Deus non potest ut hesternus dies, & hodiernus non sint duo dies: ergo dies hesternus non potest esse hodie.

D Resp. posse aliquid esse præteritum ratione primæ productionis, & præsens ratione reproductiōis, in quo non est contradictio. Si sapius idem quadrans reproductus fuisset, vivere potuisset homo annis centum temporis imaginarij, & vno tantum quadrante temporis realis, sed sapius productus. Deus facere non potest ut dies hesternus, qui fuit; & hodiernus, qui nunc est, non sint duo dies; potest autem facere ut dies hesternus adhuc sit hodie; & sic facit ut dies hesternus & hodiernus non sint nisi vnus dies bis productus, sicut quantitas palmaris reproducta potest coexistere duobus palmis.

E

QVÆSTIO II.

De generatione corporis mixti propria, siue de mixtione.

Dixi vniuersim de generatione substantiali, nunc generatio propria mixti (quam vocant communiter mixtionem) tria continet. Primò de mixtione propriè dicta. Secundò de mixtione impropria. Terriò de putrefactione corporis mixti.

SECTIO